

tamen de rigore remittens, Ecclesiarum consulit paupertati: quamobrem permittit, ut interea adhiberi possint lumina ex alia viliori materia, puta ex oleo aut adipe, dummodo saltem decem ex cera sint, quorum pondus non determinatur, quum solum qualitas et numerus sint in praecepto.

3. Quod vero attinet ad cereorum pondus, qui ardere debent de die, ab Instructione praescriptum dubitarem, num hac in parte sanctio praeceptiva an directiva sit. Non omnes namque Ecclesiae opibus abundant, ut sustinere valeant onus viribus impar. Nam si unius librae esse debent candelae apponendae in inferiori gradu, majoris certe, aut saltem aequalis ponderis esse deberent octo illae apponendae *nella parte superiore*, licet quoad istas nihil de pondere Instructio determinet. Idem dicas de cereis apponendis in plano Presbyterii. Ne igitur pauperes Ecclesiae nimis graventur, directionem potius, quam positivum praeceptum Sanctio importare videtur.

4. Cum igitur Instructionis regula non in omni parte praeceptiva sit, non dubito directivam eam esse quoad luminum *distributionem*; quamobrem si ab ea, rationabili ex causa, tantillum recedatur, nullum certe erit piaculum. Id enim in more positum est. Machina magnificentius construi solet, candelaborum forma, copia, distributione variata; non eadem semper collucent luminaria, sed alia modo extinguuntur, ut alia eorundem loco accendantur et sic omnia consumptione aequae decrescant et omnis arceatur, quae visum offendit, difformitas. Hoc in casu non video, cur non liceat accensa luminaria diversimode distribuere, dummodo tamen quatuor saltem ad Throni latera prope Ostensorium et duo fanalia ardeant in plano Presbyterii prope gradus Altaris. Secus enim opus foret, ut quae extinguuntur et

quae accendantur ejusdem semper essent ponderis, quod difficile est et symmetricus ordo plerumque non patitur. Illud vero vim habet praecepti, quamvis non verbis expressum, quod non liceat luminaria e conspectu Ostensorii collocare, per quae ejusdem visio impediatur: Nam in *superiori* §. notatum jam fuerat „Non vi sarà davanti alcun ornamento, che impedisca la vista del Sagramento“: quod de luminariibus etiam intelligendum est, cum eadem militet ratio.

5. Et quamvis praeceptivum sit alterum, videlicet: „Nella di cui parte opposta non vi si ponga onninamente lume alcuno,“ discrimine est opus, ne generice nimis pro omni casu id accipiatur. Sensus Instructionis videtur, ne sub Throni umbella a parte postica, ut magis splendescat Sphaera cum radiis continens Sacramentum, lateat aliquod lumen, quod illam artificio illustret. Si diversa ei appingatur significatio, obtinebit solummodo quoad Altaria, quae unam habent faciem e conspectu populi, qui convenit in Ecclesiam. Nam quoad Altaria, quae ad orientem sita sunt ac duplicem habent faciem e conspectu populi et Cleri, ut in Patriarchalibus, Basilicis et aliis Urbis Ecclesiis, lex locum non habet, quum ex utraque parte ardere debeant luminaria, praesertim vero, quae in Throno sunt, ita ut lateraliter quatuor e conspectu Chori nunquam desint.

6. Haec pertinent ad expositiones solemnes quadraginta horarum. Translato vero sermone ad alias, quae per annum fiunt sive ex publica sive ex causa privata, vel ex praecepto vel ex arbitrio, cum Sacramento detecto aut velato, sed publice in Throno patente, eundem cereorum numerum accendi debere supra innuimus ex regula ejusdem *Instructionis* §. 36. Quae tamen sanctio praeceptiva est

pro Ecclesiis Urbis tantummodo, nec eadem regula necessario servanda est ubique locorum extra Urbem, quamvis laudabile sit, ut omnes se ei conforment. Ideo si in aliqua Dioecesi mos obtineat exponendi SSmum. Sacramentum pro Oratione quadraginta horarum, congruit, ut viginti cerei ardeant de die, noctu vero idem non deficiat numerus, licet non omnia lumina ex cera sint, sed aliqua ex viliori materia. Sed quoniam non semper, non ubique fieri potest quod magis congruit, dummodo fiat quod saltem decet, ideo si alicubi diversa sit ratio vel ex Synodorum praescripto vel ex probata consuetudine; quandoquidem debitae venerationi consultum sit, non videtur reprobanda. Quamquam enim nulla lex habeatur, ubique tamen locorum prostant aut Synodalia Decreta, aut Episcoporum Edicta, aut laudabiles et rationabiles Consuetudines, quae pro respectivis Dioecesis vim saltem directivae legis habent. Nedum enim habenda ratio est ad Sacramentum, cui per quamcumque ingentem luminum copiam numquam satis honoris deferri potest, sed etiam ad Ecclesiarum et locorum angustias, ne ob egestatem absterreantur ab expositione cum non levi pietatis detrimento; vel onere graventur, cui ferendo impares experiuntur vires.

7. Hanc autem fuisse rationem non dubito, qua motus *S. Carolus Borromeus* Antistes Mediolani, ubi longe ante jam invaluerat laudabilis usus Orationis quadraginta horarum cum simultanea SSm. Sacramenti expositione, praescripsit „Le candeled, o cerei al più siano dieci, almeno sei d'onesta grossezza, e vi siano anche lampadi, che non siano però più di dodici, o tredici: „licet solemnissima esset hujusmodi expositio, ut colligitur ex aliis regulis, quas servandas tradit. *Act. Eccles. Mediolanen. Tom. 2. edi-*

*tion. Patavinae pag. 681. et sequen.* Solertissimus Antistes hoc pacto consuluit pauperibus Ecclesiis, quae nimis non erant gravandae. Forte etiam providere voluit, ne inter Ecclesiarum Rectores quaedam oriatur aemulatio, quae non semper unam habet originem a religione et pietate, sed verecundiam affert illis, qui nequeunt tot sumptus facere et nonnumquam causa est dissidii: necessaria ea regula erat, quia, ut ait *Lucius Ferraris Verb. Eucharistia Artic. 1. num. 6.* hyperbolica tamen usus expressione, „tanto studio facere aggressi sunt Mediolanenses, ut nisi luminum et apparatus sumptus coerciti fuissent, cera et olei inopia laborandum perpetuo fuisset.“

8. Sed recentiora quaeram. *Benedictus XIV.*, dum erat Bononiae Episcopus, modum praescribens in Oratione quadraginta horarum per Dioecesis servandum, jussit: „Si per noctem Sacra Eucharistia super Altari posita sit, ardeant duodecim faces“. *Instit. 30. num. 24.* Quot de die lucere debeant, hic non dicit; eundem tamen ad minus voluisse numerum certum est: quia pro aliis expositionibus fieri solitis Bononiae quotidie per turnum quasdam praescribit regulas, quarum altera est, „ut duodecim saltem cerei circum ardeant“. *Ibidem. num. 17.* Equidem si quid magis congruat quaeratur, ut venerationi simul et decentiae consulatur in expositionibus, quae per turnum fiunt extra tamen Urbem, non ad modum quadraginta horarum singulis hebdomadae diebus, recedendum non esse crederem a methodo pro Ecclesiis civitatis Bononiae a *Benedicto XIV.* praescripta, scilicet ut saltem cerei duodecim continuo ardeant. Dixi *saltem*, quia in facultate erit majori copia lumina apponere, si id exposcat fidelium pietas vel Ecclesiae majus

onus subire valeant; minorem haud convenire crederem ob decentiam, qua sacra illa actio est peragenda. Quod certe servandum est, quoties Ostensorium collocatur in Throno vel detectum aut velatum. Etenim vel ex causa publica id fiat vel ex privata, semper tamen aliquam habet solemnitate; idcirco nostra Instructio in Urbe exposcit eundem ardentium cereorum numerum tam pro expositione quadraginta horarum, quam in quolibet alia, licet velatum sit Ostensorium, ut supra vidimus.

9. Quod si ex causa *privata fiat expositio*, aperto scilicet Tabernaculi Ostiolo, quin sacra Pyxis extrahatur, non aliter fieri debet, quam sex saltem ardentibus cereis, quemadmodum jubet *Sacra Congregatio negotiis Episcoporum et regularium praeposita sub die 9. Decembris 1602.* Quatenus vero alicubi in more sit, obtenta ab Ordinario loci facultate, extrahere e Tabernaculo Pyxidem ad populum cum benedictione dimittendum (quod tamen infra videbimus, vix concedi debet, ubi consuetudo secus disponi sine aliqua populi offensione non patitur) curari debet, ut omnia diligenter fiant ita, "ut duo saltem Clerici superpelleceo induti cereos vel intortitia manu praeferant ardeantque reliqui cerei, qui super Altare et in candelabris statuuntur". *Ita laud. Pontifex d. Instit. 30. num. 23.* Quid si Clerici et intortitia desint? Satis erit si accendantur cerei, qui prope Altaris gradus in magnis candelabris siti sunt. Si et hi etiam non habeantur, ut in ruralibus pauperrimis Ecclesiis saepenumero contingit? Hoc in casu nullimode concedenda erit a locorum Ordinariis licentia extrahendi Sacram Pyxidem e Tabernaculo, non obstante quacumque consuetudine in contrarium: expedit namque ne fiat, quod decenter fieri non potest.

10. Quid si *Sacra Pyxis velata in Throno exponatur?* Reprobat hunc usum *laudatus Pontifex ibidem num. 16.* „Penitus interdicatur Sacram Pyxidem ob privatam causam extra Tabernaculum afferri ac velatam sub umbella collocari, cum nullus hujusce ritus vestigium apud Scriptores nullaque Sedis Apostolicae consuetudoprehendatur, quam sequi omnino debemus“. Nihilominus, si alicubi obtinuerit usus ab Ordinariis locorum expresse permissus vel saltem tacite toleratus, quem abolere sine scandalo et offensione difficile sit, eundem cereorum numerum servandum esse censerem adhiberi solitum in expositione de causa privata cum Ostensorio velato, scilicet duodecim, ut sancivit *laudatus Pontifex ibidem*: „Si vero privata de causa Sacrosancta Hostia inclusa solita sphaera et velo cooperta sub umbella ponatur, tunc praecipimus, ut saltem cerei bis sex accendantur“. Nec tamen illicitum crederem, si aliquis Episcopus attentam Ecclesiarum quam Incolarum paupertate hoc modo Sacramentum exponi cum decem cereis continuo ardentibus permitteret.

11. Alia quaestio fieri posset de numero et copia luminum, quae lucere debent *in iis expositionibus, quae fieri quandoque solent*, magnifica instructa Machina ad instar Prosaenii, ut quotannis Romae fit in Oratorio *S. Mariae Pietatis* triduo post Dominicam Sexagesimae. Eam dirimit *Sac. Rit. Congregatio*, quae in una *Narnien 15. Martii 1698 ad Dubium*: „Quot lumina sint adhibenda in expositione SSmi. Sacramenti, quae fit ad instar Prosaenii et an in tali expositione etiam lumina spectabilia et quot requirantur?“ respondit: „Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam“ (quae responsio relativa est ad primam dubii partem de lumini-

bus ex oleo latentibus) „et in Altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas“ (quae decisio spectat alteram dubii partem de patentibus luminibus ex cera) *Decretum hoc,\**) mutilum refert *Cavalerius*, ut ex prima ejusdem parte statuat, nullo generali Decreto esse definitam certam luminum quantitatem, si ea remittitur pietati facientis expositionem, sed silentio praeterit casum, qui est de expositione ad instar Prosaenii *tom. 4. cap. 7. decret. 10.* Siquidem spectandum est integrum non divisim a proposita specie. Duo namque distinguit, lumina scilicet ex oleo vel adipe, quae telis illustrandis latenter inserviunt lucemque per totam Machinam diffundunt, et alia ex cera, quae patenter ardent in Altari. Illorum numerus nequit certo determinari, dependet potissimum a Machinae extensione, structura, magnificentia, quae ut decenter collucescat, majorem minoremque luminum latentium quantitatem exquirunt; idcirco *Sac. Congregatio* pietati facientis expositionem id remittit. Quoad vero illa, quae ex cera ardere debent in Altari, omnino jubet, ut sex ad minus sint. Modicus certe numerus, qui tamen eo in casu satis esse creditur, quia multo plura sunt alia ex oleo vel adipe, quae continuo latenter ardent totamque machinam illustrant. Hoc autem Decretum trahi nequit ad alias expositiones magis minusque solemnes, in quibus cerei dumtaxat lucere debent.

12. Ad *Instructionem* modo redeamus. Ut supra vidimus, in luminum *distributione* praecipit inter alia, quod apponantur „tre per parte dai lati della Croce“. Ne tamen sit, qui inde argumentum depromi posse existimet, ut concludat, *Crucem* apponendam

\*) Vd.: *Expos. SSmi. (Lumin. Num.)*

esse in altari, in quo expositum est Sacramentum. Non hic est Sanctionis sensus, quae non aliud significare voluit, nisi quod sex cerei ardere debent in eo Altaris gradu, in quo juxta morem apponi solent Candelabra cum Cruce in medio. *Caeterum Crux nullo modo est continuo retinenda.* Num vero apponenda sit tempore Sacrificii? est alia quaestio, quam infra loco magis opportuno examinabimus.

13. Pergit Instructio „per la Chiesa nella sera si metteranno lumi sufficienti per evitare la confusione, quali stiano accesi finchè si chiudino le porte di essa“. Notat hic *Cavalerius*: „Insinuat apprime laudabilis agendi ratio in simili quacumque occasione ubique servanda; alias quippe sequerentur absurda plurima . . . occasione autem expositionis SSmi. Sacramenti poterit differri oclusio portarum Ecclesiae ad congruum usque tempus, quo populus ad Ecclesiam confluit Sacram Eucharistiam veneraturus, sed foeminae omnino prohibendae sunt ab ingressu Ecclesiae; harum namque interventu plurimum compertum est infici sanctiora quaeque“. Verum cl. Auctor nimis Sanctionem extendit, ac si per eam generatim et ubique interdictus esset foeminis in Ecclesiam noctu ingressus occasione Orationis quadraginta horarum. Id lex non vetat, sed modum praescribit, ne oriatur confusio aut veniant scandala. Et revera hac nostra in Urbe, ubi per anni circulum Oratio quadraginta horarum perennis est, viri aequae ac mulieres in Ecclesias, donec apertae sunt, noctu conveniunt, in quibus ea Oratio fit, licet foeminis iisdem vetitum sit aliis piis interesse exercitiis, quae noctu in aliquibus Ecclesiis seu Oratoriis peragi solent. Praesides tamen solliciti sint, ne juxta legem deficient lumina, quae ita sint disposita, cunctaque bene ordinata, ut nihil inconve-

niens evenire possit. Secus namque occludendae essent Ecclesiae fores ad solis occasum ingruentibus tenebris.

14. Neque tamen reprobatus est mos, ubi obtinet non admittendi ea occasione foeminas in Ecclesiis. Non ubique eadem militat ratio, nec ubique ea comparari possunt media, quae ad evitanda scandala, removendas offensionis occasiones sunt ordinata. In id Episcopi incumbere debent, quorum est, quae ad Dei cultum pertinent, diligenter curare et providere, ne quid fiat, quod illum laedat. S. Carolus Borromaeus consuluit, ut foeminae assisterent separatim a viris „Proveggasi ad ogni modo, che le donne vi facciano orazione separate dagl' uomini con tele o altri drappi, finchè si pongano l' asse“. Equidem expresse non jussit, ne ad Ecclesias, in quibus erat per turnum Oratio, noctu accederent, forte quia ad eas arcendas satis esse putavit altera, quam dixit, regula, scilicet, ut in Parochialibus fieret distributio horarum per familias, „non assegnandosi però in tempo di notte a donne“ et altera „ancora che la notte si faccia orazione, la Chiesa però non stia aperta, ma ciascuno picchi, e se gli apra.

15. Benedictus XIV., ne in Ecclesiis Dioecesis Bononiensis foeminae cum viris simul convenirent, ut per integram noctem consueverat, ad solis occasum fores claudi praecepit. „Quoniam vero ad nos pervenit in quibusdam locis per quadraginta horas Sacramentum exponi, atque Ecclesiae fores per integram noctem patere, eoque viros simul et mulieres confluere, omnino praecipimus, ut post horam vigesimam tertiam cum dimidio Templum claudatur“; *laud. Instit. 30. num. 24.* Consuetudines igitur locorum servandae sunt, quin certa universalis regula dari possit. Si in aliqua Dioecesi consuetudo sit, ut pateant Ec-

clesiae fores, ut Romae fit, primis nocturnis horis, nec foeminis denegetur ingressus, non ea erit continuo interdicens, dummodo tamen satis provisum sit, ne oriantur scandala, utque opportuna parentur remedia, si forte aliquod exoriri posse timeatur.

16. Ac tandem non praeceptivae, sed directive consulit haec Sanctio, ut pannis obscurantur fenestrae prope Altare, ut mens adstantium orationi intenta, ne minimam quidem habeat distractionis causam et omnes cogitationes colligat ac affectus in id solummodo dirigat, quod adorandum proponitur. Haec regula altera ex illis est, quas S. Carolus Borromaeus servandas praescribit in Ecclesiis Mediolanensibus, ubi primum invaluit tam pium Institutum Orationis perennis. Cum autem hujus regulae ratio communis sit aliis etiam expositionibus, quae aliquandiu durant, decet ut in his etiam fenestrae occludantur. Advertas tamen, ne tanta sit obscuritas, ut tenebrosus fiat Templum; nam ea oriri posset confusio, ad quam vitandam noctu per Ecclesiae ambitum apponenda sunt luminaria. Quamobrem scite *Instructio* non generaliter consulit occludi Ecclesiae fenestras, sed regulam limitat ad illas, quae sunt prope Altare; arbitrio relinquit, ut id ipsum fiat quoad alias, quae nimiam forte possent lucem afferre, nisi telis vel alio modo tegerentur.

#### §. VII.

»Niun Secolare, benchè vestito di »sacco di qualsivoglia Compagnia, ar- »disca di andare intorno all' Altare »per aggiustare i lumi o far altro, »che occorra, ma dovrà essere un »Sacerdote, o almeno un Chierico con »Colla, con la quale sopra il proprio »abito doveranno comparirvi anche li »Regolari di qualsivoglia Religione: »avvertendosi di più, che ogni per- »sona di qualsivoglia condizione, ed

»ordine per Decreto della Sacra Congr. »de' Riti *Urbis 19. Augusti 1651* »avanti al SSmo. Sacramento esposto, »accostandosi o partendosi da esso, »deve fare riverenza con ambe le »ginocchia piegate. In ordine poi alla »persona del Sacerdote, quale celebra »la Messa privata, s' insinua esserci »Decreto della medesima Sacra Congregazione *Urbis 7. Septembr. 1638,* »che mentre passa avanti all' Altare, »in cui sta esposto il SSmo. Sacramento, dopo fatta l'adorazione colle »ginocchia piegate scoperto il capo, »alzandosi lo ricopra.«

1. Si Ecclesiae leges jubent, ne laici homines locum habere queant in Presbyterio, tempore praesertim celebrationis Missae et Divinorum Officiorum, multo magis arcendi sunt extra cancellos, dum Sacramentum est publice expositum vel pro Oratione quadraginta horarum vel pro alia qualibet causa. *Sac. Rit. Congregationis Decreta*, quae districte praecipunt, ne laici intersint in loco sancto pro solis Sanctuarii Ministris destinato, sunt pene innumera. Duo praecipue legenda sunt in nostra hac collectione *sub num. 3007 et 3063*, quae generalem legem dicunt ubique servandam. *Benedictus XIII.* his innixus et juxta sacrorum statuta canonum, in *Concilio Romano tit. 28. cap. 4.*, nedum expresse prohibet: „intra Presbyterium et Altarium septa, dum Missae ibi celebrantur aliave Divina Officia persolvuntur, saecularium personarum cujuscumque conditionis et sexus assistentiam“ verum etiam contra inobedientes „interdicti poenam, ipso facto incurrendam et Romano Pontifici reservatam, comminatur“. Sed de hoc iterum redibit sermo ad §. XXVII. *hujus Instructionis*. Interim satis est adnotare, quod si laici cujuscumque conditionis consistere debent extra Presbyterii cancellos, dum publicae venerationi

patet expositum SSmum. Sacramentum „nelle Capelle o luogo, ove sarà esposto il SSmo. Sacramento, non entreranno entro i cancelli i laici, „ut habet S. Carolus Borromaeus in saepe citat. *Instructio Act. Eccles. Mediolan. pag. 681*, jam quisque videt, nec sub ullo praetextu licere fisdem „di andare intorno all' Altare per aggiustare i lumi, e fare altro, che occorre“. Quod autem ex Ecclesiae legibus est illicitum, cohonestari ne aliquo modo posse quis putet, si ad hoc munus non vulgari veste, sed alicujus Sodalitatis laici homines utantur habitu: nam hoc casu praevisto, nostra *Instructio* expressis verbis id prohibet: et hujusmodi officium Clericis tantummodo in defectum Sacerdotum attribuit.

2. Verum vel Sacerdos sit vel Clericus, qui vigil adsit, ut accendat, extinguat, purget, disponat lumina aliaque peragat, quae circa Altare necessaria aut opportuna videbuntur, *superpelliceum* induere omnino debet. Hoc exigit Loci religio, Sacramenti Majestas, functionis solemnitas. Non enim debet circa tam sublime Mysterium in habitu vulgari etiam nigri coloris ad talos usque protracto ministrare sed solum licet in habitu ex Ecclesiae praescripto in similibus functionibus adhiberi solito. Quapropter lex ad Regulares omnes extenditur, cujuscumque Instituti hi sint. Cum autem isthaec Sanctio fundamentum debeat in Apostolicis Constitutionibus, nedum Romae obtinet, sed ubique locorum, saltem quoad Clerum saecularem servanda omnino est.

3. Quaeri hic posset: num Laici Conversive regulares a lege prohibitive excipiantur? *Cavalerius ad hunc locum* inclinatur in sententiam affirmativam, praesertim si agatur de expositionibus extra Urbem: „quae tamen (scilicet sanctio) saltem extra Urbem

limitationem fortasse patitur quoad Laicos, seu Conversos regulares, qui, dummodo in superpelliceo appareant, intra Presbyterium admitti posse videntur ad concinnanda lumina, ad quorum aptationem aliaque similia praestanda munia ex saecularibus etiam Clerici admittuntur. Liceat mihi addere, quod idipsum, quin violeatur Instructio, etiam in Urbe non dedecet. Laici enim, Conversive regulares, pluribus fruuntur privilegiis et in pluribus aequiparantur Clericis: praeterea ex his nonnulli sunt, qui magis quam sacerdotes et Clerici idoneitatem habent ad ea munia, quae aptitudinem aliquam usu acquisitam requirunt; praesertim ubi luminaria magna sunt in copia et ad illa aptanda atque purganda per plures gradus cum aliqua difficultate ascendere oportet. Numquam tamen in Altare accedant sine superpelliceo, quemadmodum lex jubet nedum quoad Sacerdotes et Clericos saeculares, verum etiam quoad omnes Regulares cujuscumque Instituti.

4. Haec ad primam Sanctionis partem; altera succedit de *genuflexionibus*, quae ad primam aliquam habet relationem sed magis late patet, ac omnes complectitur, qui in Ecclesiam devotionis ergo conveniunt vel Altari inserviunt vel aliquo funguntur officio, utpote illi praesertim sunt, qui luminibus aptandis et purgandis invigilant, ac propterea de uno ad aliud Altaris latus transeuntes, persaepe necessario debeant ante Sacramentum transire, nisi talis sit Machinae structura, ut hujusmodi munus per graduum intervalla aut a parte postica implere possint et debeant. Siquidem Decretum *Urbis 16. Augusti 1651*, quod ab Instructione laudatur, expresse ac generatim jubet „quando SSimum. Eucharistiae Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntis, cujusvis conditionis et

ordinis sint, seu ad illud accedentes vel ab eodem recedentes semper utrumque genuflectere debent“\*). Cum vero Decretum enunciet Sacramentum publice discoopertum, dubitare quis posset: num idem genuflexionis obsequium vel unius tantum genu ad terram inflexio debeatur Sacramento in Throno quidem exposito sed velato, vel patente Pyxide aperto Tabernaculi ostiolo? Verum quod ambiguum fortasse est in laudato Decreto, declaratur per alterum ejusdem S. R. C. responsum *in Varsavien. 7. Maji 1746*, ubi *ad Dubii 9. quaesitum 3.*: scilicet „Transeundo circa SSimum. Sacramentum in Pyxide an utroque genu ante illud genuflectendum sit?“ affirmativa prodiit resolutio: „Quoad genuflexiones vero utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiamsi fuerit in Pyxide patenter expositum“ Quocumque modo sit expositum Sacramentum, venerationem exigit, non substantialiter sed modo externoque signo diversam ab ea, quae ex Ecclesiae instituto ei debetur, dum latet clausum in Tabernaculo. Si latenti convenit adoratio unius flexione genu, in uberioris venerationis argumentum utroque genu flectendum erit, dum publice est expositum etiam velato Ostensorio vel patente Pyxide.

5. Verum haec regula, etsi generalis, suas tamen patitur limitationes quoad *Sacerdotes*, qui Sacrum solemne faciunt in Altari, in quo expositum est Sacramentum, quae limitatio etiam comprehendit *Ministros*. Hi omnes cum primum veniunt ad Altare et postremo ab eo recedunt, utrumque genu flectere debent, quemadmodum etiam dum sacra Hostia publice patens thure est adolenda. Sed dum ibi permanent, si loco moveantur, ut aliquid

\*) Vd.: *Genuff. cor. SS. Sacram.*

agant et circa Sacramentum vel Altare operentur, sufficit, ut transeuntes ante illud unico genu Sacramentum salutent: non enim de novo accedunt ad Altare, nec ab eo, non reversuri, recedunt, ut comprehensi intelligi debeant sub regula *Clementinae Instructionis et laudati Decreti Sac. Rit. Congregationis*. Neque unica haec ratio est; nam et alia potissima succedit; quippe cum frequentes in solemni Missa sint transitus Sacerdotis aut Ministrorum ante Sacramentum, flexio utriusque genu multi foret incommodi, surrectio difficilior fieret, administratio minus expedita, atque actio sacra plus aequo protraheretur. Communior haec est saniorque liturgicorum Auctorum sententia, quam firmat constans principalium Ecclesiarum usus. Idipsum servandum a Sacerdote et Ministro, si quandoque contingat celebrari ante Sacramentum expositum Missam privatam, veluti monent inter alios *Gavantus ad Rubricas Missalis part. 2. tit. 14. Ibique Meratus*.

6. Neque hic praetereundem, quod eadem regula servanda est quoad genuflexiones utroque vel unico genu a Sacerdote et Ministris etiamsi expositio sit privata in Ostensorio velato vel in Pyxide. Id declaratum fuit a Sac. Rit. Congregatione *sub die 22. Decembris 1753 in Vilnen*. Dubium erat: „quando absolvitur Missa lecta coram SSmo. Sacramento *in Monstrantia exposito, sed velato, item coram Sanctissimo Sacramento* in Pyxide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quae alias observantur, SSmo. Sacramento publice exposito et non velato, conformiter ad Rubricam Missalis *Feriae V. in Coena Domini* vel non?“ cui S. C. respondit „Affirmative“. Nam si, ut supra vidimus ex altero ejusdem S. C. Decreto, Sacramentum velatum vel patens Sacra Pyxis exigit genu-

flexionis ab omnibus, ac si esset detectum, potiori jure haec servanda est regula a Celebrantibus coram eo Missam solemnem vel privatam.

7. Tertia succedit Sanctionis pars, quae modum praescribit a Sacerdote servandum, *dum is ad aliquod ex Altaribus pergens Missam lectam celebraturus vel expleta Missa, ab eo recedens transit ante expositum Sacramentum*. Servandum esse jubet Decretum S. R. C. *in una Urbis 7. Septembris 1638*. Dubium erat: „An (Sacerdos), post factam genuflexionem detecto capite surgens, debeat caput tegere donec ad Altare perveniret, an vero detecto capite iter prosequi ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum Rubrica Missalis Romani non videatur loqui de hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur?“ cui responsum fuit: „servandas esse Rubricas Missalis Romani, quae videntur innuere, quod post factam adorationem flexis genibus, detecto capite surgens, caput operiat“. Recte dicitur „videtur innuere“ non enim id exprimit *Rubrica*, quae est „si vero contigerit eum transire... ante locum Sacramenti, genuflectat: si ante Altare, ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale“ *part. 2 tit. 2 de ingressu Sacerdotis ad Altare*. Hanc quidem rubricam juxta sensum laudati Decreti servandam esse in transitu ante Altare, in quo patet expositum Sanctissimum Sacramentum, sed non in genuflexione immorandum, docent *Gavantus et Quarti ad hunc titulum, Cavalerius tom. 4 cap. 10 Decret. 5. Tetamus in Append. tit. 3 cap. 4*.

8. Quemadmodum vero, *dum elevatur Hostia et Sacramentum fidelibus*